



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

110. An soli Inquisitores possint in causis lamiarum procedere? Et an Inquisitores simul cum Episcopo in causis hæreticorum contra lamias, & strigens debeant procedere? Ex p. 4. tr. 8. res. 120.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

distantem, nihilominus fatendum est huiusmodi, sphaeram, & contactum virtutem interrumpi per multa objecta interposita, ut per muros parietes, in quibus clausi edentur panni linei, quibus remedium applicatur; consequenter dicendum est huiusmodi effectum viribus naturæ fieri non posse.

5. Deinde omnis effectus vel est à causis naturalibus, vel à Deo, vel à malo spiritu, sed hic effectus sanitatis non est à causa naturali, ut probatum est cum nulla virtus naturalis agat in distans, sed per contactum: neque posse dici esse à Deo, quia quando non constat ex scriptura, vel ex Ecclesiæ traditione aliquem effectum esse à Deo, non debemus illum Deo tribuere: ergo erit à malo spiritu.

6. Item probatur, quia si hoc remedium applicatum panno lineo, vel ensi, vel ligno intincto sanguine naturaliter prodesset ad sananda vulnera in tanta distantia, sequeretur etiam venenum, vel quid simile noxium, & lethiferum applicatum eidem panno lineo nocere vulneri, cum par videatur utriusque ratio; sed consequens est falsum: ergo & antecedens.

7. Et tandem, quia si huiusmodi effectus naturaliter producit ab hoc remedio, maxime quia est aliqua sympathia, & conformitas inter remedium, & effectum; sed hoc dici non potest, quia effectus sanitatis data quavis sympathia est effectus realis: ergo necessario fieri debet per aliquam actionem; actio autem non potest dari naturaliter in tanta distantia, cum non intercedat contactus, & impediatur sphaera activitatis.

8. Unde patet responsio ad ea, quæ adduxit Crescentius ubi supra ad auctoritatem Maximiliani Imperatoris, qui simili remedio utebatur ad sanandos vulneratos etiam absentes, ut refert Ioannes Baptista Porta in sua magia l. 8. cap. 14. ad fin. fol. 162. quod remedium appellatur unguentum armarium, eò quod applicaretur ensi, quo infirmus sauciatus, & vulneratus fuerat; ergo videtur remedium naturale, & permittendum.

9. Respondeo primo cum Bonacina ubi supra, Maximilianum Imperatorem fortasse non usum fuisse illo remedio in ea distantia, in qua adhibetur id de quo nos quaerimus.

10. Respondeo secundò, illud exemplum pati eandem difficultates, quas patitur casus à nobis propositus, præsertim cum auctor illius unguenti armarii fuerit Paracelsus, qui fuit auctor damnatus; afferre autem inconveniens, non est solvere difficultatem.

11. Addo, illud remedium non approbari à Porta, sicut ab ipso cætera consueverunt approbari, quod indicium est alicujus superstitionis.

12. Dicendum est igitur ad actionem quamlibet prærequiri necessario contactum, ut ex pluribus probat Paulus Aretius nostræ Religionis ornamentum de generat. lib. 1. disp. 5. q. 4. l. sect. 7. qui ad 16. argum. ex allata doctrina damnat tanquam procedentem ex arte Dæmonum, & rationem illam circa absentem cum panno ejus sanguine intincto. Et ideo Hermanus Busembaum in medulla Theol. mor. lib. 3. tract. 1. dub. 4. damnat tanquam supersticiosum, si unguento armario quo gladius inungitur, absens curetur. Immo aliqui putant, supradictos esse denunciandos in Sancto Officio: Vide Bonacinam, ubi supra, numero 19. distinguentem.

13. Nec obstat superius dictis, quod in casu dubij, non est aliquis damnandus superstitionis, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 60. art. 4. & in re præsentis de superstitione Suar. lib. 2. de superstitione, cap. 1. §. num. 24. Lessius lib. 2. cap. 4. §. n. 61. Sayrus lib. 4. clau. reg. cap. 6. num. 4. Bonacina in primum præceptum Decalogi disp. 3. quæst. 5. punct. 4. num. 9. Verum quando dubitatur; & alij apud

iplos: quia revera plurima sunt, quæ contingunt ex virtute naturali, & tamen à viris etiam doctis, non satis intelliguntur quomodo contingant, ut videtur est apud S. Augustinum libro 14. de civit. cap. 24. & libro 21. cap. 5. & 7. tom. 5. & apud Aristotelem libro de admirandis auditionibus, & apud Plinium libro 7. ferè per totum, & apud Franciscum Victoriam, de Magia quæst. 3. numero 8. qui multa huiusmodi recensent, ac proinde neque ex eo, quod non satis constet, quomodo hoc, aut illud possit contingere naturaliter, est absolute judicandum, non posse contingere.

14. Respondeo enim, nos non versari in casu dubio, sed certo & verissimo, agens enim non potest agere in distans; ita ut contrarium asserere esset contra fidem secundum Molinam in 1. part. quod probat ex Scriptura, & idè dixit David, Deum esse ubique ex ejus operatione, inquit enim, Si ascenderis in Cælum, & ibi illic es, &c. & rationem subdit, Et in illis manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et S. Paul. Act. 7. eodem modo argumentatur ita loquens, quoniam non longe sit ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.

15. Sed hanc censuram Molinæ impugnat Aretius ubi supra, sect. 2. qui tamen, ut diximus, firmat pro communi, & vera sententia, quod ad quamlibet operationem requiritur contactus, & sect. 7. respondet ad argumenta, quæ ex quibudam experientis videntur contrariæ sententiæ favere.

16. Idè Episcopi, & Inquisitores vigilantes supra dicta medicamenta, ut vocant sympathica à suis Diocesisbus eliminare: ex his mihi non placet modum sanandi iheriticam, vulgò Zafaram, mingendo in herbam, vel cum lotio mensurando infirmi corporis staturam, illudque dividendo, &c. hoc enim pacto dabitur actio in distans, nisi fortè dicas herbam illam, Marrobium vocant, excitatam lotio, emittere aliquam virtutem in corpus infirmi per aërem diffusam: quod non est incredibile. Ita Tancred. ubi supra, num. 21.

17. Nota etiam obiter pro curiosis, quod Delio lib. 1. disquis. cap. 3. q. 4. & Baldel. tom. 2. disp. 15. n. 24. non putat esse superstitionem illam, quam putant habere in Flandria quotquot sunt nati in die paracotes, ut suo contactu sanentur à febribus; & quotquot sunt nati septimi masculi ex legitimo matrimonio, nullo femineo fetu intercedente & Reges Francorum, ut sanent strumulos; Nam illis ait concedi virtutem in honorem diei, & propter sanctitatem mysterij quod tunc recolitur, & aliis in honorem matrimonij, & Regibus Franciæ omnino competere ex virtute divina; Vide etiam doctissimum, & amissimum Patrem Tancred. de Relig. tract. 2. lib. 2. disp. 7. quæst. 6. num. 23.

RESOL. CX.

An soli Inquisitores possint in causis lamiarum procedere?

Et an Inquisitores simul cum Episcopo in causis hereticorum contra lamiarum, & striges debeant procedere? Ex part. 4. tit. 8. Rel. 120.

§. 1. **A**D hoc dubium respondet Franciscus Pegna in Paralipomena, ad tract. de strigibus Bernardi Comensis, ubi sic ait: Si quaeras an soli Inquisitores in causis lamiarum procedere possint, secus ac fiat in causis hereticorum, ut in cap. per hoc de heret. in 6. Extravag. ex eo de heret. Clem. 1. de heret. respondeo tutius quidem esse ac decentius ut Inquisitores perinde in causis lamiarum ac in causis hereticorum procedant,

Et Potestate Inquisitorum. Ref. CXI. &c. 457.

& processus conficiant requisitis Diocesanis secundum juris dispositionem in locis proximè cit. nihilominus tamen si soli velint procedere, id quidem facere possunt, & quod soli procedentes fecerint ac decreverint sive condemnando, sive absolvendo, id validum erit, sicut constat ex Constat. Alexandri VI. directa ad Angelum de Verona Inquisitorem, cujus tenorem ponit per extensum Pegna loco citato.

2. Non desinam tamen hic adnotare quod praxis S. Inquisitionis Hispaniæ observat ut Inquisitores simul cum Episcopo in causis hæreticorum contra lamas & striges procedant.

RESOL. CXI.

An Inquisitores propter cades infantium debeant tradere striges, & lamas iudicibus secularibus?

Et an si lamas, & striges, vulgo dictæ Bruxas, se spontè detulerint, etiam si à nostra fide aberrassent, & ex animo apostatassent, admittantur ad reconciliationem, etiam bis, & ter; neque earum bona confiscantur, neque habitus penitentiales eis imponantur? Ex part. 4. tr. 8. Ref. 118.

§. 1. **V**ideretur affirmativè respondendum, ex autoritate Ambrosij de Vignate quæst. de strigibus, art. 2. §. si vero dicunt, &c.

2. Sed contrariam sententiam, & meritò, tenet doctus Pegna in suis notis ad supradictum Ambrosium de Vignate loc. cit. ubi adducit verba Pet. Dufini Generalis Inquisitionis Assessoris, & S. Penitentiarie Datarij, sic asserentis: Quamvis Autor Mallici maleficarum, & Sylvest. teneant, lamas ob infanticidia etiam in primo lapsu tradi posse curiæ seculari, & ita aliquando observatum sit in certis Inquisitionibus particularibus, & præsertim Pedemontanis, ubi multum invaluit hæc pestis: non consuevit tamen hoc S. Officium illas tradere, nec aliter punire, quàm facti canones puniri mandent Apostatas à fide Christi. Si tamen iudex secularis illas prius Officio Inquisitionis consignasset, suspensa aliorum criminum cognitione, expedita hæresis causa S. Officium debet ac solet eidem iudici illas restituere, de quo extat etiam particularis Constitutio Pij V.

3. Observatum est etiam aliquando quòd propter frequentiam homicidiorum, & aliquas circumstantias aggravantes, lamas facta abjurazione, consignantur de mandato Sanctissimi iudici seculari, qui processum format de novo super eisdem homicidiis, ut quas repperit culpabiles, puniat secundum leges. Ita Dufinus, Pegna & ego.

Vide etiam eundem Pegnam in Paralipomen. ad tract. de strigibus Bernardi Comensis.

4. Notandum est etiam hic obiter quòd si lamas & striges vulgò dictæ Bruxas, se spontè detulerint, etiam si à nostra fide aberrassent, & ex animo apostatassent, admittuntur ad reconciliationem, neque eorum bona confiscantur, neque habitus penitentiales eis imponuntur, & si hæ post abjuracionem relabantur in Inquisitione Hispaniæ, admittuntur ad reconciliationem bis, & ter, teste Castro Palao tom. 1. tr. 4. disp. 8. punct. 16. §. 5. n. 3. qui citat instructionem Madrilian. an. 1615. n. 14.

RESOL. CXII.

An Inquisitores possint punire Aegyptianas, vulgo dictas Zingaræ, quæ bonam, aut malam fortunam, ut ipsæ asserunt, divinant? Ex part. 4. tr. 8. Ref. 128.

§. 1. **D**e hac vilissima gente eruditè, ut semper solet, pertractat Franciscus Ferdin. de Cordu-

ba in didascal. cap. 50. per tot. ubi notat Carolum V. in Germania, & Ferdinandum Regem in Hispania iussisse hanc gentem ab istis Regnis abire, & supradictas feceriminas, vel vitos posse Inquisitores punire, docet Villadiego in polit. cap. 5. §. 20. n. 30. ubi sic ait: [Los Inquisidores castigan à las Gitanas que dicen la buena ventura.] Ita ille, & ego.

RESOL. CXIII.

An Inquisitores habeant potestatem erga exemptos quo ad corpora, imagines, tabellas, &c. quæ in locis publicis, seu privatis apponuntur?

Et si Religiosi transgressores fuerint, an priventur voce activa, & passiva, &c? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 127.

§. 1. **R**espondeo affirmativè ex Constat. Urban. VIII. die 2. Octobris 1625. ubi in fine sic habetur. Ut autem præmissa diligentius observentur, tam Ordinariis, quàm hæreticæ privatis Inquisitoribus districtè præcipimus, ut in sua quisque diocesi, vel provincia sedulo pervileget, ne sine approbationibus prædictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra superius disposita fiant, Transgressores verò si Regulares fuerint, privationis vocis activæ & passivæ, &c. Hanc constitutionem invenies apud Taurinum de iure Abbatum tom. 1. disp. 15. §. 7. n. 53. ubi ponit dicti Urbani VIII. declarationem supradictæ constitutionis.

RESOL. CXIV.

An Inquisitores possint examinare revelationes muliercularum, & aliorum? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 125.

§. 1. **R**espondeo affirmativè: unde Emanuel de Valde de Moura in opuscul. 2. de incant. & ensal. sect. 2. cap. 3. n. 19. sic ait: De revelationibus muliercularum suspèctissimè loquuntur authores, tanquam multis mirandisque hypocrisis, & fictionis earum exemplis edocti, & Ricard. de S. Victore eas subijcit Inquisitionis Officio. Ita ille, & ante illum Simanca in cathol. institut. tit. 21. n. 25. & 29. quando verò dictæ revelationes examinandæ erunt per DD. Inquisitores, videant Raphael. de la Torre in 2. 2. D. Th. 2. q. 95. art. 1. disp. 3. per tot. ubi latissimè & doctè, ut semper solet, hanc materiam pertractat, & dat regulas ad cognoscendum, quando revelationes sunt à Deo, vel à damone.

RESOL. CXV.

An Inquisitores possint prohibere, ne filij hæreticorum exercent officia publica?

Et an filij hæreticorum inhabiles sint ad beneficia Ecclesiastica recipienda, ita ut hac inhabilitas ipso iure incurratur, & collatio beneficij illis facta irrita sit?

Idem dicendum est quoad pensiones. Ex part. 4. tract. 8. Ref. 73.

§. 1. **R**espondeo ex cap. quicumque, & c. statut. de hæret. in 6. quod filij hæreticorum efficiuntur inhabiles ad officia publica, qualia sunt Magistratus, prætoratus, notariatus, &c. ita docet Suar. de fide disp. 24. sect. ult. n. 6. & alij. Vnde in instruct. Vallisoli. an. 1488. n. 11. sic habetur. [Los Inquisidores en sus partidos, y lugares tengan mucha diligencia, manden, y pongan grandes penas, y censuras que los hijos y nietos de los hereges condenados no tengan ni usen officios]